I. N. J.

DISCUSSIO JURIDICA QUÆSTIONIS;

Num Advocatus verbaliter injuriato Actionem Æstimatoriam svadere possit, ita, ut & ipse, & cliens in foro conscientiæ salvus sit?

Ulteriori Eruditorum examini

exhibita

à

CHRISTIANO HEIDECCIO,
Præfect. Cizens. Advoc. Ord.



CIZÆ,


Apud Fridem. Hetstedium, Ducal. Saxon. Numburg. Typograph. 1679.

JO. SCHILTER
S. D.
CHRISTIANO HEIDECCIO.

QUò improbior hodie eorum est genius, qui postulandi artem in foro exercent, eò majori laude digna virtus tua est, Heidecci, & verè christiana pessimi moris detestatio, quam scriptum hoc tuum, ad te remeans, designat. Quo in argumento, quin adstipulantem me habeas, non sinit te dubitare Manuductio mea Philos. Mor. ad JPrud. cap. IIX. §. XI. Et quamvis sint, qui licitis salvâ conscientiâ uti posse autument, licet minus honestis, id tamen utiq; vim infert præcepto de christiana perfectione, quo etiam à licitis abstinere tenemur, si præsertim talia sint, quæ ad prohibita jure naturæ primævæ & incorru-

Idem.

HEIDECCI docti cum specto momina vitæ,
Semper & in doctis lumina fixa libris;
Me jubet hunc Pietas calamô laudare favente,
Et pretium studiis dicere præco suis.
Arte manuque docet: Justè an mens conscia recti
Famam si læsa est, vindicet ære suam.
Hinc dignus capiet summæ præconia laudis,
Ipsa Themis digno digna brabéa dabit.
Annue, summe Deus, multam largire salutem
Cœptis, ex votô prospera cuncta fluant.



PROOE-

PROOEMIUM.

Mirabuntur forte non pauci, quâ fronte, quove ausu me adduci, passus fuerim, in dubium vocare quæstionem, cui, qui apertè contradixerint, non multi, quoad ego quidem novi, hactenus sese prodiderint. Quærent enim: num igitur cæteris ego vel doctior vel prudentior solus attendissem, quod alii longô rerum usu & experientiâ præpollentes nullibi annotârunt? Et sanè, si novitatis saltem amans, vel singularium opinionum sectator præsentem laborem suscepissem, non solùm temeritatis, verùm etiam stultitiæ meâ me sententia condemnarem. Monitum certè illud Horatianum me non præteriit:

Sumite materiam, vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri!

Sortis quoque meæ tenuioris, & quòd minima judicii vis & efficacia sit inscius non fui. Hinc quoque mecum non solùm deliberavi, sed & illos, quos Lipsiæ, Jenæ, ut & heic loci Patronos & Fautores perspectos habui, quid de hac controversia sentirent, quodnam cujusque esset judicium, consulere sategi; &, quod maximum erat, quæ nota præsertim exinde metuenda mihi foret, anxius requisivi. Cùm igitur cœpti elaborationem svaserint plures, dissenserint pauci, causam insuper, quæ ad hanc opellam me adegerat, culpaverit nullus; periculum tandem subii, eò præsertim respiciens: si negotium modo exorsus fuissem, exrituros

poſtmodum, qui aut contradicendo errantem me veriora edocere, & in viam deducere rectiorem poſſent, aut verò calculum ſuum addendo conſcientiam vacillantem tranquillare valerent. Neque enim propoſiti tam tenax ſum, ut de melioribus informatus, in partes concedere rectius ſententium abjurâſſem. Quin potius mihi gratulabor, ſi quendam provocavero, cujus circa hoc negotium tutò veſtigiis inſiſtere licebit. Ut verò de methodi meæ ratione conſtet, è re futurum duxi, ſi paucula de Advocatorum, abuſivè ſic dictorum, moribus præmitterem, non quidem eum in finem, ut de munere iſtorum præceptivè quid traderem; (hoc quippe & conditionem & captum meum tranſcendit) ſed potiùs ut occaſionem ſic nanciſcerer aptiùs deveniendi ad eam, quæ præſens eſt diſcuſſionem. Hanc proinde ſic adornavi. Poſtquam propoſitæ quæſtionis NEGATIVA mihi arriſit, rationes poſui (1.) dubitandi, (2.) decidendi, & demum, (3.) quomodo fundamentum quô niti illæ videbantur, vel deſtrui, vel labefactari poſſit, pro ingenii modulo indigitavi. Tuum erit, L. B. ſi candidus es, conatum, &, ſi quæ minùs ad cujusvis palatum dicta inveneris, æqui bonique conſulere. Sic enim palam fiet ad te non ſpectare, de quibus querimoniam ducere ſolent omnes cordatiores. Faxit Deus ter Opt. Max. ut fine omnium ultimo, qui eſt ipſius promovenda gloria, non deſtituamur!

§. I.

IMperator Juſtinianus, ipſe quidem (ut vulgò creditur) ἀναλφάβητος, eruditorum tamen Fautor maximè celebris *§. 1. I. de excuſat. tut.* ubi cauſas, quæ ab officio tutelari immunitatem præſtare ſolent, enarrare inceperat, tandem hoc epiphonemate finit: *Hi enim, qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.* Quamvis verò ſermo heic Juſtiniano propriè fuerit de iis, qui in acie amittuntur, & in publico, publica pro ſalute ſuſceptô, conflictu diem obeunt, uti ex verbis proximè antecedentibus, & *l. 18. ff. h. t.* conjicere licet: Quin tamen ad togatos quoque milites, ad illos præſertim, qui judiciis præſunt, qui prudentiâ & conſi-

consiliis suis Respubl. saluberrimè fulciunt, adeoque Patres Patriæ cluunt, extendi eadem possint, nemo forsan inficias ibit. Imò, quid prohibet, quò minùs imperatorio hoc effato Advocati etiam ad egregias, operas & vitam saniorem exsuscitari se permittant? Quem enim latet, quod hi non minùs provideant humano generi, quàm si præliis atqúe vulneribus patriam parentesque salvarent? Militant namq; causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam & posteros defendunt; ceu præclarum hoc testimonium ipsis suppeditant Impp. Leo & Anthemius AA. *l. 14. Cod. de Advoc. diversf. judicior.* Verùm tantum abest moderno tempore, Advocatos isthôc ornamentó gaudere, ut sordeat potiùs nomen ipsorum, & nulli alii æquè expositi sint cujusvis odio, contemtui & contumeliis, quàm illi, quos Advocatos Putant. Causam si indagaveris, & quæsieris, num ergo tam sterile seculum sit, quod nullos ampliùs artium æstimatores producat? Hanc minimè, sed longè aliam subesse scias. Sunt (Deo sint grates sempiternæ!) nobis etiamnum Justiniani sunt Mæcenates, sunt Patroni, sunt studiorum Fautores & Promotores Optimi, Maximi, qui bonos & probos præmiis suis carere, nunquam patiuntur. Quod verò scopum rari attingamus & sperata gloria plurimos deficiat, frustratæ hujus spei culpa penes nos residet.

§. II.

Nam conscientiâ teste, ambigua fata causarum, prout vult lex allegata *14. C. de Advoc. diversf. judic.* non dirimimus, sed plana sæpè per se magis intricamus. Lapsa defensionis nostræ viribus non modò non erigimus; sed quæ vigore & jure suo stare possent, pruritu & illicito lucrandi desideriô conculcamus. Fatigata non reparamus, sed destruimus. Humano generi non providere, sed nocere studemus. Militamus, non ut causarum patroni, sed rabulæ vaniloqui. Linguæ non gloriosæ, sed gloriabundæ confisi munimine, laborantium spem non sublevamus, sed litem ex lite ducendo omnem adimimus. Vitam eorundem non defendimus, sed protractionibus & protelationibus illos enecamus, posterosque facultatibus exuimus. Pacem & concordiam non suademus, sed rixantium libidini oleum affundimus. Conscientiæ sæpè fluctuanti monititis non medemur; sed sontes ad mentiendum impellendô, pejerantibus ansam præbemus. Causam apertè malam non detrectamus; sed (modò spes lucri subsit) avidè arripimus. Minùs justè etiam litigantibus, quomodò ex voto ipsorum processuri simus, ad unguem prædicimus, progressus prosperrimos, & nescio, quos montes pollicentes; &, si natus fuerit ridiculus mus (ut cum Poeta loquar) nec promissis eventus responderit, vel Judi-

cem injustitiæ & ignorantiæ, vel partem alteram barattariæ insimulantes. Clienti non solùm, qui fidei nostræ causam suam credidit, sed, quasi lex de prævaricatione nulla lata esset, parti quoque adversæ, pro mercede tamen, consilia subministramus. Nobis solis sapientes & eruditionem nostram subinde crepantes, alter alterum conviciis proscindimus, ejusdemq; profectus, ne emergere possit, suspectos reddimus. Imò nobis ipsis non parcimus, trahimur enim ad judicia, rapimur in carceres, & per propriam nequitiam honoris non rarò periculum incurrimus. Tales igitur existentes, quâ digni gloriâ æstimemur? Quæ præmia nos remansura judicemus, quibus nec honestas, nec æquitas, nec incorruptæ conscientiæ integritas cordi est? Certè mortui non solùm non vivere per gloriam; sed vivi adhuc mortui per ignominiam intelligemur!

§. III.

Ast, quò me rapit non omnino fortè injustus dolor? Hosne igitur, quorum perversos mores recensui, Advocatorum gregi adscribere non vereor? Minimè sanè gentium! Rabulæ sunt, causidici sunt, qui honorabile Advocati nomen non merentur, Licent. Götter *Disput. Inaug. de Salariis th. 11.* Sed in ore vulgi saltem id obtinent, qvi discriminis inter hos & illos ignarus est. Quos, si in Republ. abesse contingeret, beata sanè ob id prædicanda illa foret; sicuti de in colis insulæ cujusdam Britannicæ, quæ jam Anglis The ysle of Wight dicitur, legimus, facetè gloriari solitis; se reliquis beatiores esse, quod cucullatos monachos, *(quos variorum motuum, parricidiorum, aliorumq; criminum autores ad huc hodie rumor & novellæ ferunt)* causidicos *(quales descripsimus)* & vulpes *(pseudo politicos fortè)* non habuerint vid. Oldenburg. *Thesaur. Rerumpl. part. 2. p. 708.*

§. IV.

Sed ne ab institutô meo longiùs abeam, hæc de causidicis dicta sufficiant, & si rectum obliqui est index, ceu Grotius innuit *de Jure B. & P. lib. 2. cap. 22. n. 4.* recti index è contrariô erit obliqvum, & facilè constabit, in quo demum Advocatorum verè sic dictorum munus positum sit. De his igitur jam nunc in medium sisto quæstionem:

Num Advocatus verbaliter injuriato Actionem Æstimatoriam suadere possit, ita, ut in foro conscientiæ & ipse & cliens salvus esse possit?

§. V.

Prolixam verò injuriarum tractationem, utpote quivis apud autores obviam, non sum suscepturus. Occupatus enim duntaxat ero circa earum actio-

actionem, quam duplicem esse constat: vel criminalem & ad poenas infligendas, vel civilem; & hanc iterum vel recantatoriam, sive ad palinodiam (quamvis origo hujus non juri civili, sed moribus, usui, & consuetudini debeatur, Carpz. *p. 4. const. 42. def. 16. n. 45. 51. it. pract. crim. quæst. 94. n. 9. seqq.* Brunnem. *in ff. l. 21. n. 5. de injur.* Mynsing. *cent. 2. observ. 98.* Struv. *S.C. Exercit. 48. th. 61.* & criminalem illam existimet Dan. Moller. *lib. 5. semestr. c. 23.* refutatus tamen à Carpzovio *d. q. 94. n. 54. seqq. it. p. 4. c. 42. & 16. n. 3. seqq.*) vel æstimatoriam, (quæ aliàs ab origine sua Prætoria dicitur) de qua thesis nostra loquitur. Cujus affirmativam qui amplectuntur, nituntur rationibus sat prægnantibus, ex quibus negativam propugnaturo dubium sanè maximum suborietur.

§. VI.

(1.) Quòd fama & existimatio sit res maximi momenti, & omnibus divitiis pretiosior, Prov. 22. v. 1. ita, ut periculum famæ æquiparetur periculo vitæ, *l. 9. ff. de manumiss. vind.* Const. Elect. *42. p. 4. pr.* Jul. Clar. *§. homicid. n. 26.* & crudelis esse putetur, qui famam suam negligit, licet conscientiæ confidat, *c. 10. caus. 12. q. 1.* Pfeil. *Consil. 160. n. 73.* Imò, quòd is, qui non obsistit injuriæ, tam sit in vitio, quàm si parentes aut patriam, aut socios deserat, uti Cicero opinatur, *lib. 1. Offic.*

§. VII.

(2.) Quòd actio æstimatoria fundamentum suum habeat in jure civili. Quid enim clarius verbis istis: Sed postea Prætores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt, eam æstimare, ut Judex vel tanti reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. *§. 7. I. de injur.* Et ne quis sibi persvadeat, Prætores saltem injuriarum realium æstimationem permisisse; cùm in §. hoc rupti membri & fracti oris mentio facta fuerit; *§. 10. I. h. tit.* generalius id repetitum invenimus de omni injuria, eum scil. qui passus est, posse vel criminaliter agere vel civiliter, adeò, ut actio hæc obtineat, sive realis, sive verbalis, sive levis, sive atrox injuria extiterit. Qui enim omne dicit, nihil excludere videtur. Vid. Schneidevv. *ad §. h. n. 1.* Nec leges *ff.* ab hac sententia alienæ sunt, ceu constat *ex l. 17. §. 2. ff. de injur. l. 37. §. 1. eod.*

§. VIII.

(3.) Quòd Jus Canon. quoque eidem suffragetur, uti videre est *c. 13. de sentent. & re jud. c. 7. extr. de injur.*

§. IX.

(4.) Quod æstimatio hæc fieri à parte soleat, mediante juramento. Brunnem. *ad l. 21. ff. de injur. n. 2.* Carpz. *pr. crim. quæst. 95. n. 8.* Si verò juramen-

ramentum hoc æstimator injuriarum salvâ conscientiâ præstare poterit; cur qualitatem isthanc denegemus ipsi æstimatoriæ actioni, vel illi, qui hanc svadet aut instituit, cum juramentum ut accessorium, ab hac, ceu principali, sustineatur?

§. X.

(5.) Quòd Jus itidem Sax. imjuriarum æstimationem foveat. Licèt enim pœna illa triginta solidorum (2. alte Schock) quos solvendo ab instituta actione injuriarum Reus olim se liberare poterat, Gloss. *in* Land-Recht. *lib. 1. art. 68.* Carpz. *pr. cr. q. 94. n. 6. it. q. 95. n. 2.* per Constitutionem Electoralem *42. p. 4.* in universum abrogata sit, nec quicquam Constitutio illa de æstimatione injuriarum verbis exprimat: Ipsissima tamen hac abrogatione juris civil. dispositionem iu usum revocatam esse, innuit Carpz. *d. q. 95. n. 4.* Et minus dubium est de jure Sax. moderno; Sic enim rescriptum scimus à Sereniss. Elect. *de dat.* Dreßden *d. 10. Aug. 1637.* Und daß er entweder auf eine Geldbuße *&c.* Quæ verba repetita leguntur *Ordin. Polit. Noviss. de Anno 1661. Tit. 5. §. 5.*

§. XI.

(6.) Quòd in sacrarum literarum quoque pandectis hæc æstimatio injuriarum fundamentum habere videatur, *Exod. 21. vers. 19.*

§. XII.

(7.) Quòd detur casus, ubi verbaliter iojuriato revera aliquid abest. E. g. Si per statutum injuriato Opifici artis exercitium interdicatur, adeoque mediis acquirendi ille destituatur.

§. XIII.

(8.) Quòd sint generosi animi, qui injuriati eundem sentiant dolodolorem, ac si reverà aliquot millium thalerorum jacturam fecissent; prout rationem hanc mihi nuperrimè suggerebat fautor & amicus quidam, cum quo de hac ipsa controversia tum temporis colloqui dabatur.

§. XIV.

(9.) Quòd actionem hanc æstimatoriam observantia & consvetudo hucusque stabiliverit, & nulla æquè in foro tam frequens sit, quàm hæc ipsa lucrum spondens, & injuriato præ cæteris satisfaciens: sicuti præjudiciis quoque corroboratur à Carpz. *d. q. 95. n. 5. seqq.*

§. XV.

(10.) Quòd facilè accidere possit, ut verbaliter injuriatus, si testes, adeoque media probandi ipsum deficerent, sublatâ vel abrogatâ æstimatoriâ, omni alia actione privaretur, cùm integrum ipsi non sit, nec in re-

canta-

cantatoria sola, nec in ea cum criminali cumulata injuriati juramentum deferre; uti vult Carpz. *Proc. tit. 11. art. 1. n. 47. & pr. cr. q. 95. n. 67. seqq.*

§. XVI.

Verum enim verò, utut hæ rationes aliquam partem à veritatis tramite non multum abeant; tanti tamen ponderis non sunt, ut assensum meum ex torqueant. Etsi enim injurias verbales pecuniâ æstimans, in foro soli & civili Judici causam suam non difficulter probet; in foro tamen conscientiæ, quod omnibus tribunalibus est sanctius, & de quo in præsens est quæstio, purgatum sese non æquè reddet. Rationes, quibus ad hoc statuendum adductus fui, breviter jam expono.

§ XVII.

(α) Quòd nullum in actione hac verum æstimationis adsit objectum. De quo ut planius constet, sciendum est, quod fama (cujus læsio & offensio pro objecto forsitan habetur, Carpz. *p. 4. c 42. d. 16. n. 6.*) dupliciter considerari possit, vel extrinsecùs, respectu aliorum & societatis humanæ, vel intrinsecùs, in se & ratione fundamenti. Si de posteriori hac, ejusq; fundamento quæratur, cùm illud in honestate morum, vitæ probitate aliisq; qualitatibus positum sit, in apricô erit, quod nec atrocissimæ injuriæ evertere id queant. Struv. *S. C. Exertit. 48. th. 61.* & consequenter deficiente scil. læsione & damno, nec æstimatio locum inveniat.

§. XVIII.

Ast secùs fortè res se habebit circa famam extrinsecùs consideratam? Sic certè quorundam est opinio, nec inficior, injuriæ illam capacem esse, & per calumnias honestæ aliorum de nobis opinioni detrahi, imò non tantùm variabile vulgus, sed sapientiores etiam, ut sinistrè de nobis sentiant, adduci posse. Quid igitur heic respondendum? Num adhuc de læsione famæ dubitandum? Videtur quidem hæc probata; sed qualis? Putativa saltem, & quæ esse suum tantùm habet in opinione & errore vulgi, Brunnem. *ad rubr. ff. de injur. n. 3.* Vera læsio, ita scil. ut in locum læsi honoris infamia succedat, nondum præstò est. Ex injuriis enim nullius opinio verè læditur, & injuriosa lingva neminem honore suô, & fama spoliare potest. Licèt etiam injurians id forsan conetur; destituitur tamen effectu, cùm privati existimatio à privato non dependeat *l. 3. C. de injur. ibidemq;* Brunneman. *n. 2. l. unic. C. de famos. libell.* Grot. *de J. B. & P. lib. 1. c. 2. n. 8.* Wesemb. *in Parat. ff. de injur. n. 18.* Hahn. *ad Wesemb. eod. tit. & num.* Moller. *ad Const. Elect. 42. p. 4. n. 6. 7.* Carpz. *pract. crim. q. 94. n. 16. Disput. m. jurid. de Dissimulat. §. 71.* Unde & in libello injuriarum actor cautus non dicere solet: Er hat mich an meinen Ehren geschmähet &c. sed eidem

hæc

hæc fere verba inferit: Er hat sich unterstanden an meinen Ehren &c. Carpzov. *d. l. & n.* Moller. *d. l.*

§. XIX.

Cùm igitur læsio famæ reverà non existat, sed saltem à ratione concipiatur, vel quod idem est, tantùm objectivè sit in intellectu; non ens ferme erit, seu, ut aliàs dici eonsvevit, ens rationis; (licèt non strictissimè sumtum) cujus cum nullæ sint affectiones, ejusdem nec dari poterit æstimatio, *arg. l. 1. ff. de hered. vel act. vend.* Imò juridicè quoque loquendo plus valet, quod in veritate est, quàm in opinione *§. 11. I. de legat. l. 4. §. 1. ff. de manumiss. vind.* Quô jure, quâve conscientia ergò nummis æstimemus, quod aliorum quidem opinione per injurias nobis abest, in veritate verò penes nos salvum remansit. Dixi quidem suprà, paucos me nosse, qui propositæ quæstioni apertè contradixerint, & negativam amplexi fuerint: Ne tamen solus hoc fecisse quibusdam videar, lubet jam allegare Disput. de Alapa *Francofurti ad Viadrum sub præsidio D. Strykii, A. 1675.* habitam, ubi *cap. 4. n. 7.* hæc leguntur verba: *Maximè verò ille, qui injuriosa verba mille thaleris & ampliùs æstimat, in conscientia vix erit securus, cùm ipsi reverà nihil absit.*

§. XX.

Nec movet me objectio illorum, qui dicunt, quòd ad palinodiam agens petat restitutionem sui honoris, quæ recuperatio præsupponat privationem. Nam itidem hæc putativa, & quasi restitutio est, & petitio ista rei veritate tendit saltem ad declarationem famæ illæsæ potiùs, quàm ad redintegrationem offensæ existimationis. Reus enim seipsum sic cogitur publicè mendacii arguere, & confiteri, falsa esse, quæ in actorem dixerat, & proinde se illi injuriam fecisse. Qualis restitutio famæ sese magis habet negativè, quam positivè, argumento sententiæ, quæ nihil novi ponit, sed istud, quod juris est, saltem declarat. Carpz. *pr. crim. q. 94. n. 17. it. q. 95. n. 93.* Hahn. *observ. ad Wesemb. ff. de injur. n. 18.* Brunnem. *ad rubric. ff. de injur. n. 3.*

§. XXI.

(β) Quod actio æstimatoria sit pœnalis & meram vindictam contineat *§. 10. I. de injur. l. 2. §. 4. ff. de Collat. bonor.* Brunnem. *ad l. unic. C. quando civ. act. crim. præjud. n. 4.* Hahn. *ad Wesemb. ff. de injur. n. 18.* Cothman. *Respons. 59. n. 198. 200.* vindictam verò ejusmodi & ultionem patientissimus Salvator noster improbet Matth. *5. v. 39. 44.* & Paulus *ad Rom. 12. v. 19.* non quidem, ac si injuriantem omni pœna eximere velint; (Talismodi enim malitiam & Christum ipsum & Paulum increpuisse, sacra pagina

gina docet *Joh. 18. v. 23. Act. 23. vers. 3.)* Sed potiùs ut vindictæ privatæ obicem ponant. Privatis hominibus velut manicas injecit, (Salvator) nec puniendi potestatem tollit, sed peccandi occasionem præcidit, Maldonat. *ad d. c. 5. vers. 39.* Sic Joh. Musculus *ad eundem loc. Matth. Quæst. de quo malo Christus loquatur? Non laxantur,* inquit, *frena malorum, sed per Magistratum, non privatim ulcisci debent.*

§. XXII.

Sed regeret fortè heic quispiam: Atqui actionem æstimatoriam non tendere ad vindictam privatam, cùm pœnalis sit, & injurias ab injuriatô æstimatas judex moderetur. Verùm, licèt utrumque concesserim, eô ipsô tamen æstimans injurias privatæ ultionis maculam non absterget. Quod enim pœna quoque interesse aliquando privatum contineat, videre est in Werigeldo Juris Sax. dicitur enim vulgò, Eine Busse / *art. 71. in fin. lib. 2.* LandRecht. Carpz. *pr. cr. q. 94. n. 17.* Imò, eo ipso, quando actio hæc pœnalis dicitur, arguit vindictam, quia eandem respicere qualitas pœnarum propria est, Carpz. *d. l. n. 70.* Deindè, cùm pecunia, quæ injuriato applicatur, fisco non accedat, ex observantia fori Saxonici & consvetudine totius Germaniæ, quæ mulctas soli Magistratui, ac Judicis officio tribuit, non pro pœna, sed privato interesse partis habetur, Idem *p. 4. const. 42. def. 16. n. 6. 7.* Judicis moderationem quod attinet, quoniam hæc Actoris æstimationi extrinsecùs accedit & animo vindictæ cupido, modum saltem, ne æstimationem in infinitum extendere queat, præscribit; publicam eam non reddit. Si enim per moderationem talis evaderet, Magistratui certè Reum puniendi adimeretur libertas, quoniam unum delictum pluribus coercere pœnis ad eundem effectum tendentibus contra manifesta jura est, *l. 22. C. de pœn.* Carpz. *p. 4. c. 42. d. 16. n. 23. it. pr. cr. q. 94. n. 32. 33.* Wesemb. *p. 1. cons. 22. n. 19.* Quod tamen fieret, si æstimatio injuriæ pecuniaria pro vindicta & pœna publica reputaretur; siquidem pœnam à judice indictam illa simul admittit, Carpz. *d. l. q. 95. n. 24. it. p. 4. c. 42. d. 16. n. 22.*

§. XXIII.

Autorem si quis desideret, cujus eadem mecum sit sententia in hac quoque causa, præstò est Charisius *de foro conscient. c. 6. n. 56. seqq.* Postquam enim hic quæstionem, an unquam Christianus salvâ conscientiâ injuriarum agere possit? per varias distinctiones ventilaverat, tandem concludit, tutò saltem quoad conscientiam criminaliter injuriarum agi posse, an civiliter dubitat, quia injuriarum actio tantùm tendit ad vindictam. *d. l. n. 58.* Nec pigebit huc adscribere, quæ ex Fautoris & Amici cu-

jusdam literis, non ita pridem allatis, hausi. Sunt autem talia: *Meritò dolemus fata atque statum: Multa permittuntur morosis creaitoribus, eorumq; cordis pravitatibus relinquuntur, quæ sacer codex ignorat omnino ac prohibet. Sic & injuriaram æstimationem LL. Actoris conscientiæ tradunt, quæ tamen minùs honestatis ac pietatis, plus autem privatæ vindictæ ipsa in se non potest non deprehendere, nisi ei rancor & impietas ad illud RR oraculum Deique prosatum ad Rom. 12. vers. 19. audiendum ambas aures obturaverit.* Hæc ille. Quæ etiam Magnifici Dn. Schilteri circa æstimationem hanc sit sententia, primæ statim pagellæ, L. B. tibi significarunt.

§. XXIV.

Cæterùm audiamus quoque de hoc ulciscendi genere Grotium differentem. Sic verò ipse: *Quod ergò à Mimo dictum est, læso doloris remedium inimici dolor, & à Cicerone, dolorem pœnâ mitigari, congruit quidem ei naturæ, quam homo cum bestiis habet communem; Est enim ira, ut in bestiis, ita in homine fervor sanguinis circa cor ob appetitum reponendi doloris, qui appetitus adeò per se caret ratione, ut sæpè feratur in ea, quæ non læserunt, aut in sensu carentia, ut in lapidem quo ictus est canis. At talis appetitus in se spectatus, non convenit parti rationali, cujus est imperare affectibus, ac proinde nec juri naturæ, quia id est dictatum naturæ rationalis ac socialis, qua talis est. Dictat autem ratio homini nihil agendum, quo noceatur homini alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum. In solo autem inimici dolore ita nudè spectato, nullum est bonum, nisi falsum & imaginarium. Atque hoc sensu improbant ultionem in hominibus non Christiani modò Doctores, sed & Philosophi, ut Seneca: Inhumanum verbum est, & quidem pro justo receptum, ultio, & à contumelia non differt, nisi ordine, qui dolorem regerit, tantùm excusatius peccat. Imò, si Maximo Tyrio credimus, iniquior est, qui se ulciscitur, eô, qui prior nocuit. Musonius id, ait, cogitare, quomodo quis remordeat mordentem, & nocenti noceat feræ est, non hominis. Apud Plutarchum Dion: ultionem legis arbitrio justiorem censeri illata injuria; at si natura spectetur, eodem animi morbo nasci. Pugnat ergò cum natura hominis in hominem agentis alieno dolore, qud dolor est, satiari. Atque adeo, quò hominum quisque minùs valet rationis usu, eò ad vindictam est pronior. Eodem sensu Lactantius (lib. 6.) imperiti & insipientes, si quando accipiunt injuriam, cæco & irrationabili furore ducuntur, & iis, qui sibi nocent, vicem retribuere conantur.* Hucusque Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c. 20. n. 5.*

§. XXV.

Sed quomodo tandem consultum erit injuriatis, præsertim nostro seculo, ubi lingua domita ferinæ instar est, ut loquitur Brunnem. *ad l. 40.*

ff. de

ff. de injur. n. 4. Numne injurianti delinquendi impunitas concessa, injuriatis contra omnis agendi venia denegata erit? Haudquaquam. Absurdum hoc statuere nullatenus animum induxi. Tam enim crudelitas est, omnibus ignoscere, quam nulli. Grot. *de J. B. & P. lib. 1. c. 2. n. 8.* Verùm id saltem & Grotius & alii innuunt, quod suprà circa doctrinam Christi monitum fuit, privatis scil. affectibus indulgendum non esse, quia idcircò judiciorum vigor jurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisque sibi ipsi permittere valeat ultionem *l. 14. C. de Judæis & Cælic.* Quibus autem mediis æstimationi suæ prospicere possint injuriati de his dicendi copia sese prodet cùm ad rationes dubitandi respondero.

§. XXVI.

(γ) Quoad negativam meam decidendi ratio inde exoritur, quòd æstimatoriè injuriarum agens utroque fine, quem omnis injuriatus, aut intendit, aut intendere debet, destituatur. Est autem hic finis vel primarius vel secundarius; Ille procul dubio erit famæ, quæ errore vulgi amissa creditur, restitutio; hic verò pax & animorum reconciliatio. Concedam proinde læsionem quandam honoris per injurias accidere posse, præsertim cùm de essentia famæ extrinsecùs consideratæ videatur esse judicium & opinio vulgi, utpote qui ad sinistre sentiendum per injurias facile adduci potest; sicuti hoc ipsum jamtum largitus sum. Neque enim, quando veram famæ læsionem impugnavi, eandemque ratione in capacitatis quoad æstimationem pecuniariam, ens rationis dixi, omnem injuriæ effectum adimere volui; fit quippe hæc cum contumelia atque detractione honoris, quem nititur convellere, quantum in ipso est, delinquens. Hahn. *ad Wesemb. ff. de injur. n. 18.*

§. XXVII.

Sed quocunque modô hæc sese habeant, si de fine isthoc primariò, honoris scil. restitutione quæratur, num hunc per æstimationem pecuniariam quis assequi possit? negativam intrepidus assumo, quia famam inter & pecuniam nulla datur proportio; Illa enim cum vita pari passu ambulat, ejusque jactura viris honestis, gravior, quàm vitæ, rerum & valetudinis visa semper fuit, *Const. Elect. 42. p. 4. pr.* Perez. *in C. de injur. n. 8.* Pfeil. *Consil. 160. n. 74.* Hinc quoque magni nominis Jurisconsulti non verentur fateri; honorem pretiô nummariô æstimandum non esse. Moller. *ad d. const. 42. n. 6.* Carpzov. *pr. crim. q. 94. n. 15.* & quidem posterior expressè prodidit, quòd per æstimationem injuriarum viri honestatem amantes honori & famæ suæ haud satis prospectum existimaverint, *d. const. 42. p. 4. def. 16. n. 18.* Licèt etiam in hac ipsa constitutione Serenissimus Legislasor, se

 intel-

intelligere, dicat, ad Magistratus officium pertinere, ut legitimis pœnis in injuriosos statutis existimationi virorum honestatem amantium satisfiat; (Ehrliebenden Leuten durch geordnete Straffe ihrer Ehren Ergetzung zu thun.) Quod tamen nihil arbitrio partis offensæ, in quo æstimatio consistit, indulserit, nec apex de ea in hac constitutione habeatur, autor itidem est Carpz. *d. l. n. 45.*

§. XXIIX.

In mentem verò mihi venit, Fautorem heic quendam singularem, cujus catenatos laberes circa hoc negotium interpellare nuper non sustinui, ex literis meis hanc conclusionem elicuisse: Fama nummariô pretiò æstimari nequit. Ergò nec multâ pecuniariâ affici potest arrodens famam. Ubi, si mulctam parti exsolvendam intellexisset Vir Doctissimus, ipsi non refragarer; sic enim haberem quod vellem: Dum verò alteram Magistratui scil. debitam indigitare videtur, meque sic sensisse opinatur, mentem meam non assecutus est. Quòd enim injurians præter palinodiam pœnâ quoque pecuniariâ, Judici vel fisco exsolvendâ, aliâque arbitrariâ puniri possit, nullibi negavi. Imò si contrarium statuerem, nasutuli & hominis arrogantissimi notam vix effugerem. Verùm exinde nondum sequitur, famam à privato pretiô æstimari posse. Nec satis penetro (quod tamen pace Fautoris Clarissimi dictum velim, cujus cæteroquin accurata ad meas responsio multum doctrinæ mihi attulit) quomodo instantia illa de rebus quibusdam utilibus & necessariis (v. g. pane, veste, libris &c. & quòd nec hæ æstimari in se pretio queant, cùm sint auró pretiosiores, æstimentur verò quotidie ex arbitrio hominum) locum heic obtineat. Dictæ enim res licèt sint utiles & necessariæ; quoniam tamen sub commercium cadunt, & per modum emptionis illas acquirimus, pretium verò emtionis substantiale est. Struv. *S. C. Exercit. 23. th. 15.* non possunt non æstimationi, subjacere. Quod secus se habet circa famam, hanc etenim non pretiô, sed vitæ & morum integritate, aliisque qualitatibus comparamus, & modus acquirendi in nobis est, adeò, ut omne heic commercium propriè sic dictum, omnisque æstimatio exclusa censeatur.

§. XXIX.

Causæ aliàs belli sunt vel justificæ, quæ movent sub ratione justi, quas προφάσεις, vel svasoriæ, quæ movent sub ratione utilis, quas αἰτίας dicunt Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 1. n. 1. & c. 22. n. 1.* Has si certo modo ad actiones injuriarum applicaverim, à scopo fortè non multùm aberrabo. Cùm enim Justitiæ commutativæ proprium sit, contractus involuntarios seu invitos, qualis etiam ratione patientis est injuria, emendare; Emenda

in

in injuriis quoque erit vel Justifica seu honorabilis vel utilis, quæ distinctio Hahnio non displicet *ad Wesemb. ff. de injur. n. 18.* & Cothmanno *Respons. 59. n. 196.* it. *Peretz. in C. de injur. n. 21.* Sicuti verò illi, qui, causis justificis neglectis, saltem ob commodum & utilitatem belligerant, conscientiam vix salvam habent: Nisi fortè judicium hoc tutius iis relinquendum, quibus ratio status & arcana regnorum perspecta sunt) Ita perspicere non possum, quomodo per æstimationem, quæ est emenda utilis, Justitiæ commutativæ satisfieri possit? Respicit quippe hæc formaliter bonum æqualitatis h. e. ut unusquisque habeat, quæ sua sunt, & nemo sine suis rebus maneat, Hahn. d. l. Sed attingitne injuriarum æstimatoriè agens hunc finem? Dubito, & negant id laudati autores, cum emenda hæc sit utilitas sine necessitate, quæ falsam habet justi speciem, Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 22. n. 6.* Inde Hahnius concludit, quòd restitutio honoris per recantatoriam tunc quoque fieri debeat, quando actor æstimatione facta injuriarum, pœnam consecutus est. Hanc enim ipsi exigere permitti dicit ob vindictam; honoris autem restitutionem propterea, quod ablatum sit reddendum, & alioquin adhuc injustus maneret, qui convitium dixit, nulla facta honoris læsi restitutione, quod naturæ justitiæ commutativæ plane contrarium, *Id. ibid.* Quamvis cumulatio ist hæc palinodiæ cum æstimatoria procul dubio in hujus odium in Electoratu Sax. interdicta sit ex Rescripto Sereniss. Electoris *d. d. 10. Augusti Ann. 1637.*

§. XXX.

Sed memini, quendam heic regessisse, atqui eo ipso contingere restitutionem honoris, quando scil. injurians æstimatoriè conventus ad solutionem pœnæ à Judice condemnatur. Verùm si talô suô stare posset hæc opinio, cur, quæro, effectus hic denegatur recantatoriæ, quæ injuriante absente, per lictorem fieri solet? Hoc enim casu, quo Reus præsens non est, existimationem injuriati læsam plenariè non restitui, existimat Carpz. *pr. crim. q. 94. n. 28.* Num igitur majoris efficaciæ erit muta pecunia, quàm vox lictoris à Judice reclamare jussi? Judicent id sapientiores!

§. XXXI.

Prosequor nunc finem alterum & secundarium, pacem nimirum & animorum reconciliationem. Videamus ergo, an hic per actionem æstimatoriam obtineri possit? Liceat verò denuò in comparationem accersere, quæ Grotius de bello monuit, quando scripsit: *Postremò circa exitum belli videndum est, ne ira & ultionis cupiditate bellum trahatur sed appareat, nihil aliud bello quàm pacem quæsitam. Quod fiet, si quavis tolerabili pactione ab armis discedatur, aut etiam post victoriam nihil victis dematur præter*

 injuriæ

injuriæ licentiam, *Comment. ad Evang. Matth. 5. p. 128.* Heic si bellum cum æstimatoria contulerimus, statim apparebit, actorem à fine, quem Grotius intendit, esse remotissimum. De ira & ultionis cupiditate modò audivimus. De pace si loquamur, tantum abest, litigantes ad illam adspirare, ut potiùs, æstimatione facta & sententia lata, lis ex lite oriatur, noviter de solutione disceptetur, & rancor animorum non pereat, sed radicetur, quem infelicem successum quotidiana nos experientia edocet. Licet etiam sint, qui tolerabilem pactionem, & ut à lite discedatur, svadeant; animus tamen vindictæ & lucri cupidus, ad svasiones hasce salutares, omnem aurem obturat, & eò unicè respicit, quò victo, non tam injuriæ licentia, quam omnis facultatum substantia dematur, non attendens illud Augustini *Epist. 154.* dictum est, non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alienô malo (alterius ruinâ) animum pascit.

§. XXXII.

Sed objicientem heic audio, me non omnes fines enumerâsse; sed illum restare adhuc, ut scil. petulantia & malitia hominum, & injuriandi libido coerceatur; uti hunc in finem Prætores injuriarum æstimationem permisisse Lauterbachius opinatur *in Colleg. jurid. ad ff. de injur.* Verùm respondeo heic ex Grotio: Quia in rebus nostris & nostrorum affectu corrumpimur; ideò simul multæ familiæ in unum locum convenerunt, judices constituti, & his solis data potestas vindicandi læsos, ademtâ cæteris, quam natura indulserat, libertate *de J. B. & P. lib. 2. c. 20. n. 8.* Petulantiam coercere non hominis privati, sed Magistratus functio est, Carpzov. *p. 4. c. 42. d. 16. n. 7.* Et licet coercitionis nomine quodammodò venire possit, hæc æstimatio, propriè tamen nil nisi privata vindicta est.

§. XXXIII.

Plures forsitan adhuc suppeterent rationes, quibus doceri posset, & eum, qui injuriarum æstimatoriè agit, & qui ipsi consiliis opitulatur, in foro conscientiæ salvum non esse; nisi propositum fuisset, omnem prolixitatem evitare. Filum propterea abrumpo, quâ fieri poterit, brevitate responsurus ad ea, quæ in contrarium adducta fuere.

§. XXXIV.

Et Primò quidem ratio allata sententiam meam firmat magis, quàm labefactat, quoniam nullus renuo, famam & existimationem omni auro superiorem & pretiosiorem, nobisq; curæ maximè esse debere, juxta tritum illud:

Omnia si perdas, famam &c.

Neque enim probo patientiam illorum, quos taxat Cornelius à Lapide, autori-

autoritate Cassiani, *Collat. 16. c. 20.* qui irridet vesaniam non nullorum, qui, ut illud Christi exemplum *Matth. 5. vers. 39.* implerent, ultrò jurgia miscebant, aliosq; ad iram provocabant, ut ab iratis percuterentur; imò percussi etiam maxillam percutienti feriendam offerebant: Epicrisi pulchra adjecta: Patientis enim est, neminem ad impatientiam provocare, ne ipsa patientia fiat impatiens *ad d. loc. Matth. in fin.* cum scripsisset prius, hoc esse quandoque præceptum, quandoque consilium Evangelicum, cui opinioni quoq; accedit Francisc. Lucæ, quando inquit: *Consilium Christi est docentis, nos mala perferre. Non ergo prohibetur injuriam declinare, neque aliquando iis, quibus id officii incumbit, vindicandam committere, multo minùs iis, quibus id ex officio incumbit, magistratibus vindicare, Præfectis corrigere. Sed privatas inhibet inimicitias, privatæ ultionis studium appetitumq; improbat, ad eund. loc. Matth.* Sed Famam potiùs, ceu bonum aliquod externum hominis optimum magni æstimo, verùm non pecuniâ & pretio nummario; Quis enim honorem suum venalem exponeret? (Wer wolte wohl mit seiner Ehre und ehrlichem Nahmen eine Marcketenderey treiben?) Sed quovis licitô modô alio redimendam & defendendam illam judico. Hinc quoque locum ex jure Canon. non improbo; sed similem potius suprà §. 25. ex Grotio adduxi. Quod verò attinet, quæ ex Cicerone allegavi, ad controversiam præsentem vix spectare videntur. Locutus est enim Cicero de defensione, quam alteri aliquando debemus, sicuti hoc Tullii interpretandum censet Grotius *de Jure B. & P. lib. 2. c. 25. n. 7.* ut scil. *(potest)* illud intelligamus cum suo cujusvis commodo, i. e. ne ipse pereat.

§. XXXV.

Magistratus præsertim & persona in publico officio seu civili seu Ecclesiastico constituta præ cæteris justè omnino vindicat injurias, ne inde in alios derivetur scandalum, & ne talis persona sinistram de se suspicionem tacendo sibi accersat. *Disp. alleg. de Alapa c. 4. n. 6.* Unde elegantem pro Magistratu doctrinam suggerit JCtus *l. 9. ff. de Offic. Proconf.* ut nimir. patiens sit, sed cum judiciô, conniveat quidem, non tamen adeò dissimulet, i. e. secundum Gloss. ib. nimium vel in tantum, ut contemtibilis videatur sed medium teneat, & autoritatem dignitatis ingenio suo augeat, *l. 19. §. 1. ff. de Offic. Præf.*

§. XXXVI.

Imò privatus quoque, si ipsi crimen fuerit objectum injuriantem convenire salvâ conscientiâ poterit, quò se à crimine purget, & ne alter maledicendo pergat, *dict. Disput. de Alap. c. 4. n. 7.* Cùm enim ad Justitiam non benignitas solùm, sed & prudentia requiratur, ne quid desidiâ & dissimula-

mulatione nobis decedat; certè Justitiæ minùs satisfaciet, nec prudens, sed in seipsum potiùs injurius erit, qui nimia & intempestiva tolerantiâ (durch Unempfindligkeit) contemtum acciverit, & ad plura inferenda mala petulantes invitaverit. Nulli igitur autor esse vellem, ut omni cederet, & cujus vis injuriam devoraret (daß er alle Pillen verschlucken solte.) Nam ignavâ hac patientia infirmitatem tueri, & ad præsentia se accommodans homines audentes ad novam olim inferendam injuriam præpostera dissimulatione provocare facilè videbitur, in quo malo præcavendo occupatus fuit Gallus, cujus ex Thuano mentionem feci *Disp. de Dissimul. §.70.*

§. XXXVII.

Sed anne per actionem quoque æstimatoriam, inconvenientias hasce declinare fas erit? Fuit fortè hactenus in foro civili, coram tribunali conscientiæ non æquè. Et quid juvat multum desudare circa æstimatoriam; cùm de quovis honesto præsumatur, citius eum electurum esse emendam honorabilem, quâ & Justitiæ commutativæ, & læso honori satisfieri intelligit quam utilem duntaxat præter necessitatem, quâ neutrum obtinere potest. Quod eò magis attendet, cui non ignotum est, actiones, quatenus vindictam exseqvuntur, odiosas, sed quatenus honoris & existimationis conservationem tuitionem, & defensionem continent admodum favorabiles esse, & interpretatione justa adjuvari debere. Cothman. *Respons. 59. n. 94. 95.*

§. XXXVIII.

Tres verò emendæ honorabilis species moribus & lege introductas recenset Hahnius alleg. loc. nim. Declarationem, Deprecatiouem, & Palinodiam. Quoad primam (die Ehren-Erklärung) abunde famæ suæ Actor prospectum reputabit, si Reus sponte sua sese declaraverit ac professus fuerit se ab Actore nil quicquam contra boni & honesti viri officium commissum scire; (daß er von Klägern nichts denn alle Ehre und Gutes wisse) imprimis, si injuriæ sint leviores, & declaratio illa ante litis contestationem atque in judicio coram judice & assessoribus fiat, cum hoc in casu Reum absolvendum esse, jura quoque & observantia dictitent, & nemo ex sensu suo sibi reum injuriarum facere possit, Mevius *p. 7. Decis. 112. n. 6.* Carpz. *pr. cr. q. 97. n. 12. seqq.* Struv. *S. C. Exerc. 48. th. 64.* Nulla enim major, certior & melior satisfactio esse potest quam adversarii testimonium ejusque oris proprii confessio & testatio], Cothman. *d. l. n. 235.* Quoniam nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissolvere, quô colligatum est *l. 35. ff. de R. I.*

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sed fortior adhuc animum suum tranquillandi ratio sese injuriato offeret, si alteram emendæ honorabilis speciem deprecationem (eine Christliche Abbitte) Reus præstiterit. Eo ipso enim dum veniam petit, & injuriam deprecatur, seque injustè fecisse fatetur, non minùs tacitè eam revocat, ac is, qui expresse palinodiam canit, Carpz. *d.l. q.94.n.18.* Nec Reo modi hi elabendi & litem abrumpendi molesti esse debent, quoniam priore illo & infamiam & palinodiam avertere potest, *Id. ib. n. 88. & p. 4. c. 42. d. n. 11. n. 2.* Fibig. *process. p. m. 152.* Alter verò, licèt palinodiæ proximè accedat; famosus tamen non est, nec quiquam turpitudinis habet; sed ad eum tenetur injurians quocunque tempore, si conscientiæ suæ consultum velit, idem Carpz. *d. l. n. 18.* Brunnem. *ad l. 15. ff. de injur. n. 4.*

§. XL.

Verùm hoc tum obtinebit, si, ut dixi, injuriæ fuerint leviores. Si igitur atrociores extiterint, ultrò sequitur, Reum, dissentiente Actore, dicto modo se liberare non posse, sed integrum tum erit injuriato ad tertiam emendæ honorabilis speciem procedere, quæ est palinodia (ein öffentlicher Wiederruff) aliàs Recantatoria, Reclamatoria, Revocatoria, it. disdicta Cothmanno *d. l. n. 229.* nominata. Licèt enim hanc Daniel Mollerus *ad constit. 42. p. 4. n. 6. 7.* ad pœnam & vindictam tendere, asserat; Discessum tamen ab ipso faciunt celeberrimi JCti, quippe quòd rei tantum, honoris scil. quem injuriatus amissum credit, sit persecutoria. Nec pro Mollero militat, quòd per hujusmodi revocationem, quam palàm facit Reus, infamiæ labe aspergatur, & quasi corpus affligatur, quia non ideò sequitur, actionem esse pœnalem, cùm Actor non respiciat pœnam, sed persequatur rem & honorem, quem à detrectatore integrè restitui petit. Et, si hoc inferre liceret, omnem actionem esse pœnalem, quæ infamat; talis quoque existeret actio pro socio, depositi, mandati, tutelæ, quod tamen nemo admittet. Perez. *in Cod. de injur. n. 22.* Hahn. *ad Wesembec. ff. de injur. n. 18.* Carpz. *pr. cr. q. 94. n. 64.*

§. XLI.

Si verò ob atrocitatem injuriarum nulla harum specierum injuriato sufficiens visa fuerit, sed vereatur, ne vel à Reo ipso, vel ab aliis denuò injuriam passurus sit, prohibitum certè ipsi non erit, absque nota privatæ vindictæ, palinodiam cumulare, cum actione criminali, ubi, cùm Judex pœnam ad fustigationem usque extendere possit, quin Reus malo suo delinquere dedoceri, ejusdemque criminandi libido satis coerceri queat, dubitandum planè non est; Prout autores passim demonstrant.

§. XLII.

Et hæc media injuriam propellendi, famamque defendendi judicialia sunt. Restat adhuc extrajudiciale quoddam, nim. Retorsio. Etsi enim hæc non omnibus probetur; putantur tamen illi intelligere recriminationem, quando injurianti aliud crimen objicitur, qui modus retorquendi licitus utique non habetur, *pr. crim. q. 97. n. 26.* & quos acervatim ibi allegat Carpz. Cæterùm Retorsio defensionis species est, quæ regulariter omnibus injuria verbali affectis, ad conservationem famæ, & existimationis suæ competit, Joh. Harpr. *in §. 12. I. de injur.* Carpz. *d. l. n. 24.* Sicut enim à corporibus, rebusque nostris, & eorum, qui ad nos pertinent, vim vi, manum manu, arma armis depellere omnes leges omniaque jura permittunt; sic & famam atque existimationem suam suorumque tueri, & ob id verbis verba refutare nequaquam prohibitum, imò ratione manifesta concessum est, Pfeil. *consil. 160. n. 74.* Quamvis paritatem hanc non omnes admittant, quia non, ut in repellendâ vi, sic in contumelia periculum est in mora implorandi auxilium judicis. Verùm hæc res ita temperari potest, ut liceat non aliud crimen reponere; sed sibi objectum repellere, quoniam illud ad vindictam, hoc ad defensionem spectat. Perez. *in Cod. de injur. n. 8.* Plura aliàs ad legitimam retorsionem (quæ in continenti & cum moderamine in culpatæ tutelæ fieri solet) spectantia addere nolo, cùm de his prolixi hinc inde sint autores, & in Electoratu præsertim Saxon. res omni difficultate careat, quando *Decisio Noviss. 85.* modum retorquendi dilucidè præscribit. Scopum etiam eousque assecutus mihi videor, dum pro virili monstravi, verbaliter injuriatum existimationem suam defendendi mediis, & quidem honorabilibus non destitui; licèt pecunia eas non æstimaverit.

§. XLIII.

Conscientiam Secundò non salvare poterit, quòd actio æstimatoria jure civili nitatur. Licèt enim Doctores unanimi ferè consensu ex allegatis §. §. 7. & 10. J. de injur. injuriarum quoque verbalium æstimationem inferant; Exinde tamen defensores illius, quoad præsentem controversiam, palmam nondum obtinebunt; quoniam inter forum civile & conscientiæ, exterius & interius exactè distinguendum venit, nec factum illud, cujus jus civile immunitatem præstat, statim macula expers in foro coscientiæ erit. Indulget namque lex civilis aliquando dolori, & poenam humanam, non verò vitium tollit, *l. 20. seqq. ad L. Jul. de Adult.* neque tum præcipit, sed saltem permittit, uti Dd. loqvuntur, *Dedek. Vol. 53. p. 57.* & tales quoque sunt alleg. §. §. 7. & 10. J. de injur. Allegat. verò LL. ex ff. de æstimatione

ne injuriarum verbalium, nil quicquam disponunt; sed loqui videntur de injuriis realiter illatis; de quibus autem mihi nulla jam nunc tractatio est.

§. XLIV.

Imò, licèt dentur leges, quæ hoc vel ilud factum de crimine omnino purgent, tale tamen perpetrans inter Christianos præsertim, morsum conscientiæ non omnem effugiet. E. g. ut ex pluribus unicum depromam, Marcellus *l. 35. ff. de relig. & sumptib. funer.* filium, qui patrem patriæ proditorem, interficit, non solùm sine scelere, sed etiam præmio afficiendum constituit; cujus legis plausibilis ratio non deest. Sapientes enim censuerunt, patriam omnibus necessitudinibus esse anteferendam Cic. *1. de Offic.* Valer. Max. *lib. 5. c. 6.* & pueri, teste Platone, *7. de legib.* civitatis magis, quàm parentum liberi sunt. Ex quibus consentaneum hoc elicitur: Salutem patriæ præferri debere saluti parentis. Verùm quibus constat, Deo proximos esse Parentes, & velut in terris Deos quosdam, honoremque honori Dei secundum ipsis competere, Marcello calculum suum non addet, nec filium ejusmodi in foro cosscientiæ tutum, nedum præmio honorandum judicabit, vid Monsel. *Dissert. Inaug. de pracept. Decal. Non occides, th. 23.* Sic patrocinium quoque nullum injurias verbales æstimanti in conscientia præstabunt alleg. §. §. etiamsi Prætores æstimationem permiserint, Non enim omne, quod licet, honestum est *l. 144. pr. ff. de R. I.*

§. XLV.

Nec est, quod heic quis objiciat, conscientiam legis, vincere conscientiam hominis, Carpz. *pr. cr. q. 77. n. 18.* Id enim locum tunc invenit, quando rationem legis sufficientem atque prægnantem deprehendimus, *Id ib. n. 20.* quale quid circa actionem æstimatoriam, qua injurias verbales quis prosequitur, non invenimus.

§. XLVI.

Tertiò Jus Canon. nullum mihi negotium facessit. Si enim loqvuntur textus allegati de injuriarum verbalium æstimatione; vestigia premere voluerunt Pontifices juris civilis. Et licet juris Pontificii usus in Germania invaluerit, utimur tamen eò non ex necessitate, sed ex voluntate libera Richt. *Decis. 28. n. 13.* & autoritas ejus in non nullis tantùm materiis ob aliquam æquitatem superest, quas recenset Struv. *S. C. Exerc. 2. th. 39.* Quid verò æquitatis ad hæreat actioni æstimatoriæ, jamtum audivimus.

§. XLVII.

Quartò negativam meam haut infringet, quod æstimatio injuriarum mediante juramento fieri solita fuerit, vel adhuc soleat. Est enim heic petitio principii, & ad huc quæstionis, an unquam homo Christianus

 salvâ

salvâ conscientiâ juramentum illud præstare potuerit? Quoniam juramentum ut accessorium induit naturam principalis, seu ejus, cui adjicitur Richt. *Decis. 26. n. 38.* Et, si rationes, suprà pro adstruenda opinione mea allatas, huc retulero, contrarium evidens erit. Nec moror objectiones illorum, qui dicunt, hoc pactô Magistratum, qui juramentum istud exigit, perjuriis ansam dare. Repeto enim heic, quæ §. 23. posui.

§. XLVIII.

Defert quoque non rarò Judex in hac vel illa causa parti juramentum necessarium, suppletorium vel purgatorium; ubi si perjurium commissum fuerit, quæritur; num Judici culpa adscribenda. Hoc nemo, si sanus, affirmabit. Exigitur super æstimatione juramentum, quò conscientia tentetur, & ad veritatem adducatur, Mev. *p. 7. Decis. 112. n. 2.* Sed quomodo penes Actorem haberi poterit veritas, cùm injuria censenda sit ex animo injuriantis, & talis censeatur injuria, qualis ille reperitur, *Id. ib. n. 3. 4.* Nec jus civ. (nisi in atrocissimis) nedum privatus super iis, quæ in animo consistunt, super consiliis conatuque cognoscere possit. Monsel. *Disput. Inaug. de precept. Decal. Non occides. th. 2. l. 18. ff. de pœn.* Suspectum ad minimum hoc juramentum esse, vel exinde conjicere licet, quia in desvetudinem fere abiit, & in foro parùm ampliùs attenditur. Argumentationem insuper, à qualitate accidentis vel accessorii, ad qualitatem substantiæ & Principalis firmam non judico.

§. XLIX.

Quintò Jus Saxon. Actioni æstimatoriæ, parum vel nihil adminiculatur. Nam quòd pœna illa 30. solidorum per Constit. 42. p. 4. prorsus abrogata sit, nemo, nisi in foro Saxon. hospes, ignorat. Exinde verò cum Carpzovio inferendum non puto, juris civilis dispositionem per abrogationem istam in usum revocatam esse, sed planè contrarium concludo. Et Carpzovius ipsemet quoad opinionem hanc sibi non probè constare videtur. Definitione enim *16. n. 18. d. const. 42.* dicit: in locum æstimationis injuriarum ex consvetudine Germaniæ generali, recantationem sive palinodiam surrogatam fuisse, additâ ratione, quia per illam æstimatoriam scil. honori ac famæ suæ viri honestatem amantes non satis prospectum æstimaverint. Imò credendum potiùs est, Serenissimum Electorem *d. c.* non tàm pretii parvitatem, quàm inter pretium & honorem disparitatem respexisse, & omnem æstimationem abrogatam voluisse. Quid? quòd tum demum ad jus commune recurrere tenemur; ubi jura alia statutaria vel re-

gionalia

gionalia deficiunt; qualis penuria heic non offenditur, cùm medium honoris reparandi longè præstantius atque honorabilius Serenissimus Saxo, quàm jus civile monstret.

§. L.

De Jure Sax. moderno tantum abest, æstimationem injuriarum verbalium eidem probari, ut adversæ opinioni & negativæ meæ multum lucis ex eo accedat. Licèt enim in allegato loco habeantur verba illa: Daß er entweder auf eine Geld-Busse etc. Adduntur tamen in parenthesi & hæc: So er anders seiner Ehren dadurch gerathen zu werden vermeinet etc. Quæ iisdem ferè apicibus repetita invenies, *Ordinal. Polit. d. l.* Cæterùm, quòd Sereniss. Saxon. Legislatores æstimationem injuriarum verbalium hactenus cum indignatione quadam toleraverint potiùs, quàm præceptivè de ea quid disposuerint, elucet ex loquendi formulis, quæ in Rescripto eo inveniuntur: V. g. Aber auch Geldsüchtigen Leuten etc. item Uber dies einen Geld-Krahm auf zuschlagen / item von dem andern ein stück Geld zuerpressen etc. Qualia, num gratiam & favorem indigitent, videant alii.

§. LI.

Sextò locus ex Sacro Codice æstimatoriæ actioni, circa quam hucusque occupatus fui, nihil momenti addit. Sermo enim ibi est de injuriis realibus, & damno verè illato, cujus æstimationem non impugnavi, & talionem, ne apud Hebræos quidem semper in usu fuisse ex hoc ipso loco infert Grot *de I. B. & P. lib. 2. c. 20. n. 8.*

§. LII.

Septimò ratio ad statuminandam injuriarum æstimationem à statuto quorundam opificum desumta, prægnans non est. Licèt enim accidat, ut verbaliter injuriatus consortio opificum excludatur, (delicatuli enim quandoque nimis hi sunt, strictissimè statutis, licèt iniquissimis, ad superstitionem usque inhærentes, Carpz. *Decis. 18. n. 2.*) & postmodum injuriantem conveniat; æstimatio certè illa non erit læsi honoris, sed verè dati detrimenti. Quamvis statutum ejusmodi, ubi injuriato statim artis exercitium interdicitur, causa non cognita, barbarum stultum & absonum vocetur à Brunnem. *ad l. 3. C. de injur. n. 3. it. Exerc. 25. ad Inst. lib. 4. tit. 4. §. 9. fin.* nec sine ratione. Quæ enim ortum à vulgo habet, nulla est infamia, neque Ethicè, neque Politicè nec in sensu juridico, quia non constat de turpi facto, quod princeps est & intrinseca infamiæ causa, Hahn. *Observ. ad Wesemb. ff. de his, qui not. infam. n. 2.* Hinc quoque alibi idem Autor scribit: *Quin rei veritate, pro qua suprà subinde pugnavimus, illum, cui convitium*

 dictum

dictum est non fieri infamem, neque propterea ex probatis opificum collegiis ejiciendum esse, patet ex Reformationibus Imperii Politicis tit. Von Handwercks Söhnen / *verb.* Es soll auch der jenige / so geschmähet worden / keines weges außgetrieben / sondern bey seinem Handwerck gelassen / und die Handwerck-Gesellen mit und neben jhm zu arbeiten schuldig seyn / so lange biß die angezogene Injurien und Schmach gegen ihn / wie sich gebühret / erörtert wird / *ad Wesemb. ff. de injur. n. 18.* & tandem concludit: *nec in praxi attendendum propterea statutum ejusmodi contrarium, ibid. de privat. delict. n. 4. vid. m. Richt. Decis. 80. n. 32.* Si etiam per privati injurias infamia contingeret, non posset non sequi, injuriati famam actione intermissa læsam & commaculatam manere, cùm tamen JCti contrarium asserant, & præjudiciis id confirmet Carpz. *pract. cr. q. 95. n. 92. seqq.* imò nec jus civile verecundam cogitationem ejus, qui lites exsecratur, vituperet *l. 4. §. 1. ff. de alienat. judic. mutand. caus.*

§. LIII.

Octavò, quòd sint animi generosi, qui citiùs opum, quàm honoris jacturam facere velint, facile mihi persvadeo; an verò hi injuriati æstimatoriam electuri sint, valdè dubito. Qui enim maximis fulgent virtutibus, supra calumniam positi sunt, & nebulonis unius vel alterius maledicentiam generoso potiùs contemtu, quàm actione vindicant, *l. unic. C. Si quis Imperat. maled.* Carpz. *pr. cr. q. 41. n. 113. seqq.* Nam honor est opinio de Excellentia. At, qui talem fert injuriam, is patientem se excellenter ostendit, atque ideò honorem auget magis, quàm minuit, nec refert, si quidam corrupto judicio virtutem hanc in probrum confictis nominibus traducant. Perversa enim illa judicia, nec rem nec rei æstimationem immutant. Nec Christiani veteres hoc tantùm viderunt, sed & Philosophi, qui dixerunt, pusilli esse animi, contumeliam ferre non posse, cùm magnanimi contrà sit, injuriam contemnere, Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 1. n. 10.* Cothman *Respons. 59. n. 178.* Mev. *p. 1. Decis. 223. n. 5.*

§. LIV.

Privati, qui tanto splendore non radiant, quorumque existimatio tantas radices in animis hominum non egit, videntur quidem vindictâ opus habere; præsertim cùm injurians honesti viri opinionem de se fecerit apud alios; sed quali? non sanè privatâ, quam injuriarum æstimatoriæ agens intendit; Hæc enim neque in foro soli honorabilis nec in foro poli excusabilis est; verùm publicâ, quæ neutri adversatur. Quamvis privatus quoque, præcipuè si injurians fuerit persona futilis, vilis vel ipsa infamis, conscientiæ suæ meliùs consuluerit, si injuriam contempserit, quia hoc æ-

quanimi,

quanimi, pii & Christiani esse solet, Mev. *d. l.* nec ex remissione hac ullum sibi periculum metuendum habet. Quemadmodum enim existimationi illius, qui laudatur ab eo, qui nullâ laude dignus est, parùm aut potiùs omnino nihil accedit; Ita de honore & fama viri honesti nihil detrahitur verbis injuriosis, à levi quopiam homine in eum prolatis, Dan. Moller. *ad Const. Elect. 42. p. 4. n. 6.* Carpz. *pr. cr. q. 95. n. 92.* Huc quoque faciunt, quæ suprà §. 24. de privata vindicta ex Grotio adduxi, quò B. L. remitto.

§. LV.

Nonò novi quidem, quòd ab observantia non facilè recedendum; ac minimè mutanda sint, quæ interpretationem certam semper habuerunt, *l. 23. ff. de LL.* Verùm an in hoc nostro casu, cessante scil. ratione inductiva, quam nullus hactenus monstrare voluit, interpretatio semper certa fuerit, in eo adhuc hæreo, &, quæ dicta sunt, contrarium monstrare videntur. Jura enim, quæ actionem æstimatoriam permittunt, eandem non statim laudant, non probant, lataque sententia in foro Cæsaris, non æque in sanctori tribunali conscientiæ pronunciabitur, Monsel. *Disput. Inaug. de precept. Decal. Non occides, th. 28.*

§. LVI.

Tolerat, dissimulat aliquando Magistratus, temporis injuriâ sic exigente, quæ tamen lubentius abrogata vellet; uti talis modi dissimulationis exempla quædam in medium stiti, *Disput. de Dissimulat. §. 31. seqq.* Legis latores Sax. quòd actionem hanc controversam, quamvis indirectò, abrogare voluerint, quisque facile videbit, qui modò paulô penitius inspexerit verba ista suprà ex Rescripto & Ordinat. Polit. allegata: So er anders seiner Ehren dadurch gerathen zu werden vermeinet. Quid enim apud Germanos frequentius, quàm hæc de illicitâ re usitata formula: Er kan es thun / so ers anders vor billich achtet / so ers zuverantworten gedencket / Quæ verò nil, nisi hoc exprimere vult: Er wird / vel, er darff es nicht thun / weil es unbillig ist / weil ers nicht wird verantworten können etc. Sic certè, quando Serenissimus Saxo rescripsit: Daß er entweder auf eine gewisse Geldbusse (so er anders seiner Ehren dadurch gerathen zu werden vermeinet) Klage / id indigitasse censetur: Es kan / vel, es wird leicht keiner auf eine Geldbusse klagen / weil des geschmäheten Ehren dadurch gantz nicht gerathen wird.

§. LVII.

Certè si morem hodiernum sententionandi (liceat uti termino juridico) accuratiùs perpendo, quando scil. Judex moderando eò procedit, ut pro 4000. Thaleris vel florenis, 40. pro 3000, 30. pro 1000, 10. injuriatus

tus quandoque vix accipiat, perſpicere non poſſum, quô pactô præjudiciis firmari queat actio injuriarum verbalium æſtimatoria, quia judicantes nimia hac ſubtractione ſatis ſuperque indicant, quàm inviſum ſibi hoc genus actionis ſit, quàmque lubenter homines lucri cupidos ab eodem revocare velint. Licèt etiam hujus vel illius libido per iſtud expleatur; ſatisfactionem tamen honorabilem neminem ſic conſequi, ex autoribus, quos in firmanda opinione mea citavi, probatum dedi. Et, ſicut aliàs frequentia actum in ſe illicitum, licitum reddere non valet; ita nec quoad æſtimatoriam in conſcientia immunitatem præſtabit. Quin hæc proſcribenda potiùs propter frequentiam, & lucrandi libidinem erit, cùm per eam commune bonum in detrimentum in currat, quando nimir. privatus privatum pecuniâ emungit, civis civi nocet, qui pars patriæ eſt. Nec iniqui fortè quid patrabo, ſi obſervantiam & frequentiam mihi objicientibus, certo reſpectu illud Auguſtini repoſuerim: *Non itaque verum eſt, quod dicitur, ſemel rectè factum nullatenus eſſe mutandum. Mutata quippe temporis cauſa; quod rectè ante factum fuerat, ita mutari recta ratio plerumque flagitat, ut, cum ipſi dicant, rectè non fieri, ſi mutetur, contra veritas clamet, rectè non fieri, niſi mutetur, Epiſt. ad Marcell.* Si enim mutari, circumſtantiis ita jubentibus, id poteſt & debet, quod tamen aliquando rectè factum; quidni mutandum erit, quod in foro conſcientiæ nunquam fuit rectum, præſertim cùm experientia, emergens incommodum in foro quoque civili ob oculos ponat? Conſvetudo ſanè non debet pugnare cum jure divino vel naturæ Weſemb. *in parat. ff. de LL. n. 9.* Sed talis potiùs abolenda eſt. *c. quæ contra. c. ſi conſvetud. c. mala. diſt. 8. c. cum venerabilis 7. extr. de conſvetud.* Richt. *Deciſ. 96. n. 38.*

§. LVIII.

Decimò, caſus, ubi probatione injuriatus omni deſtituatur, quomodò dari queat, non ſatis intelligo. Ponam etenim famam noſtram extrinſecùs conſideratam, conſiſtere in opinione vulgi, opinio ſanè hæc ſiniſtra reddi non poterit, niſi injuriam vulgus reſciverit, cum ignoti nulla cupido nec averſatio ſit. Si verò ſcientia hæc ad vulgum pertigerit, ultrò ſequi videtur, nec probandi media injuriatum deficere poſſe, quoniam inter multos procul dubio pauci invenientur teſtes adhibendi. Quos etiam, vel aliam certam & periculi expertem probationem qui habuerit, ſicque ordinaria via procedere potuerit, ad extraordinariam, & probationis genus anceps & periculoſum admitti non debet, Cothman. *Reſponſ. 82. n. 37. 38.* Non parum enim injurioſum, eſt, ſi quis ad judicium proſiliat, & in jus vocatum ſtatim jurejurando oneret, *Id. ibid. n. 41.* Quod probè annotent illi,

illi, qui moribus hodiernis præter omnem necessitatem, ad delationem juramenti confugiunt, quò saltem onus probandi evitent, persvasi, sibi hoc integrum esse, sive viâ ordinaria sive exorbitante probare velint; de quibus verò Oldendorpius, quem allegat jam modò laudatus Autor *d.l. n.22.* Admodùm graviter his, inquit, testationibus divini nominis tam stultè abutuntur quibusdam in locis, ut nullam propèmodùm agant causam, etiamsi testes aut instrumenta habeant, quin malint deferre juramentum horrendo certè exemplo. Etenim non ut cibo, verùm sicut condimentis uti oportet jurisjurandi religione ad necessitatem juxta præceptum Dei.

§. LIX.

Sed largiar, dari casum, ubi injuriatus ordinaria probandi media invenire non possit, adeòq; ad irregulare istud, nim. jurisjurandi delationem, adigatur; num ideò nulla ei actio præter æstimatoriam restabit? Hoc elici posse videtur ex allegatis locis. Videamus igitur, quibus rationibus pro æstimatoria, contra reclamatoriam militet Carpzovius.

§. LX.

Et (a) quidem juramentum judiciale Reo deferri posse in actione ad æstimationem directâ, asserit, quia civilis est; Sed qualis est actio ad palinodiam? Criminalem quidem eam putavit Dan. Moller. *lib 1. Semestr. c.23.* Verùm Carpzovius eidem contradicens strenuè contrarium defendit, *p.4. const. 42. def. 2. & pr. crim. q. 94. n.54. seq.* Et hujus sententiæ asseclas habet Mynsing. *Cent.2. observ. 98.* Perez. *in Cod. de injur. n. 22.* Richt. *decis. 55. n. 20.* Struv. *S.C. exerc. 48. th. 61.* Brunnem. *ad ff. l. 21. de injur. n. 5.* & alios quàm plures. Unde quoad rationem hanc primam actionem recantatoriam ab æstimatoria nihil differre palàm est. Nec video, cur ea, quæ Carpzovius *Proc. tit. 11. a.1. n.54.* habet, ad palinodiam applicanda non sint, quando scribit: Attamen si in causis ejusmodi criminalibus non criminaliter, nec ad pœnam insligendam agatur, sed saltem civiliter ad recuperationem rei, injustè & vi ablatæ, Actor experiri velit, quin juramentum desuper deferens Reo audiendus sit, nulli dubitamus, quod & textibus juris ibi probat, *n. seqq.*

§. LXI.

Sed potissimam rationem, cur Recantatoriam heic exceptam velit, eam prodit Carpzovius, quod ad graviorem pœnam ad fustigationem usq; in illa deveniri possit, in æstimatoria non æque, *pr. crim. q. 95. n. 70. 25.* Nescio autem an immemor sui extiterit hæc scribens Carpzovius, cùm in quæstione præcedente *94. n. 55.* contra Mollerum pugnasset; actionem injuriarum criminalem, cum Palinodiâ, tanquam diversâ minimè confundendam, & si actor præter recantationem insuper Reum ad fustigationis pœnam con-

 demnari

demnari petierit, actionem injuriarum extradubium criminalem esse, non quidem propter palinodiam, quæ privatum interesse, famæ scil. restitutionem concernit, adeòq; criminalis esse nequit; sed propter fustigationem, quæ pœna corporis afflictiva est. Dum ergò ipsemet Carpzovius Palinodiam ab actione criminali separat, assequi non possum, quare in ea, si extra cumulationem cum criminali consideratur, Reo juramentum deferri non queat.

§. LXII.

(b) Ratio, quod actio hæc ad palinodiam pœnalis sit, carceris, pecuniæ, vel etiam relegationis mulctam inferens, adeòq; juramenti delatio in ea locum non inveniat propter metum perjurii, magis contra æstimatoriam, quam recantatoriam pugnat. Non enim, ut illa, ita & hæc pœnalis est, sed tanquam restitutio rei à pœna toto cœlo diversa, Hahn. *ad Wesemb. ff. de injur. n. 18.* Perez. *in C. de injur. n. 22.* Quod nec Carpzovius abnuit *pr. crim. q. 94. n. 15. 70.* Licèt etiam Actor in libello pœnam carceris vel relegationis, aut mulctam pecuniariam exprimat, quis, quæso, criminaliter agi affirmabit, nisi ignarus juris Saxon. quod eam tantummodò actionem definit criminalem, quæ ad pœnam corporis afflictivam tendit, sunt ipsissima, Carpzovii verba *d. l. n. 57.* Si igitur per petitionem talismodi actio ad palinodiam in criminalem non degenerat, non satis intelligo, quamobrem deterioris conditionis, quoad juramenti delationem, æstimatoriâ esse debeat, cum in hac, eadem petere, Actori nullibi prohibitum sit. Licèt hodiè in praxi non semper observetur, sed tacitè Magistratui quandoq; committatur, *Id. ibid. q. 95. n. 27. seqq.* Imò, si rem accuratiùs trutino, major certè metus perjurii in actione æstimatoria, quàm reclamatoria erit, quoniam in illa Reus, si conveniatur, ad duplicem pœnam tenetur, & parti exsolvendam, & quam Judex exigere potest, in hac non item.

§. LXIII.

(c) Putat Carpz. rem esse iniquissimam, & mali exempli, ut vir honestus à levi quopiam homine conventus eò redigatur, ut omnino vel jurare, vel famæ periculum subire cogatur, cùm hoc juramentum referri non possit, *pr. crim. q. 95. n. 68.* Verùm, ut taceam, quod levis notæ homo contumeliam vix ad animum revocare, nedum per palinodiam honoris restitutionem urgere, sed lucrum potiùs quærere soleat, contra æstimatoriam reponere licebit illa Cothmanni: Quod si jurisjurandi conditionem ab Actore nihil probante, nihilominus recipiendam & admittendam esse, statuamus, futurum omnino sit, ut facillimus & levissimus quisq; ad jurisjurandi conditionem decurrat, & adversario suo lucrum aliquod extorqueat, ac rursus religiosissimus quisq; jurisjurandi conditionem defugiat, & in damnum famæ

ac

ac facultatum præcipitetur, atque ita fraudibus via aperiatur & hominibus avaris abjurandi, quod aliorum est, potestas detur *Respons. 82. n. 39. 40.* Ex quibus videre est, majus incommodum viro honesto accidere posse ex delatione juramenti in actione ad æstimationem, quam disdictam.

§. LXIV.

(d) Rationem, ob quam juramenti delatio in actione ad palinodiam admittenda non sit, hanc ponit Carpzovius, quòd, quoad eum, qui injuriam facit, ad actiones criminales quam proximè accedat, atq; injurianti notam & maculam infamiæ impingat, & ad vindictam directa sit, *pr. crim. q. 95. n. 71.* Ast si Carpzovio ex Carpzovio respondere permissum fuerit, rationem hanc solidò fundamento haud niti, facilè constabit. Palinodiam enim à criminali eundem secrevisse, &, nisi pœna corporis afflictiva ab Actore petatur, revocatoriam criminalem planè non esse, aliquoties percepimus. Quòd verò in famosis quoque actionibus fas sit litigantibus juramentum deferre, itidem ipse demonstratum dedit *Proc. tit. 11. a. 1. n. 35. seqq. it. Decis. 231.* Si etiam aliter res sese haberet, ejusdem, imò ob alias causas, iniquioris sortis æstimatoria esset, cum hâc quoque conventus, & inde condemnatus infamis fiat *l. 1. de his qui not. infam.* Struv. *S. C. Exerc. 48. th. 60.* Frantzk. *in ff. de his qui not. n. 10.* Quoad vindictam iterum prorsus non invenio, quomodo Carpzovius Carpzovio conciliari possit, quoniam *quæst. præced. 94. n. 62.* expresse contra Mollerum asseruerat: Palinodiam ad vindictam nullatenus tendere, sed privatum solummodò interesse concernere, in qua opinione consentientes habet Hahn. *ad Wesemb. ff. de injur. n. 17.* Perez. *in Cod. de injur. n. 22.* & alios. Si igitur τὸ tendere vel directum esse ad vindictam juramenti delationem impedire potest, effectum hunc sortietur potiùs in æstimatoria, quam actione ad palinodiam, utpote quæ à vindicta prorsus aliena est. Nec Cothmannus eandem simpliciter negat, uti vult Carpzovius *q. 95. n. 67.* sed gravibus & urgentibus de causis in actione ad palinodiam ad jusjurandum deveniri posse, ultrò fatetur *Resp. 82. n. 103.* Hinc quoq; idem, & à Carpzovio contrarium in Curia Provinciali Jenensi pronunciatum & decisum fuisse experientia suâ attestatur Fibig. *Proc. p. m. 150. n. 3.*

§. LXV.

Et nescio, cur plus indulgendum sit agenti ad emendam utilem, quàm honorabilem, quoniam hujus longè justior est petitio, nempe qui suum tantum quærit, honorem scil. quem amissum credidit, cùm ille ad vindictam agens alterius damnum & incommodum inhiet. Sed quando in Electoratu Sax. contrarium pronunciatur, hanc causam subesse puto, quia Actor vel pœnam Judicis arbitrio committit, vel secundùm tenorem Const. 42. p. 4. Reum condemnandum petit, utroq; autem modo, pro injuriæ atrocitate, Judex ad extremum

mum usq; gradum, fustigationem scil. pervenire potest. Unde & vulgò actionem, quâ injuriam pecuniâ æstimant, Eine Bürgerliche Injurien Klage/ eam verò, quæ ad palinodiam & pœnam Const. Elect. tendit, eine peinliche Injurien Klage appellitare solent, usu hoc observante Carpz. *q. 95. n. 30.* Verùm, cùm experientia testetur, inter privatos ad gradum isthunc supremum, vel nunquam vel raró admodùm deveniri, illos vero, qui nobilioris sortis, à latere Principis, Magistratus & Judices sunt, non per modum actionis, sed inquisitionis injurias vindicare, quomodo ac quare in Electoratu Sax. jurisjurandi delatio exulet in actione ad palinodiam, nondum edoctus sum.

§. LXVI.

Cùm etiam palinodia utplurimùm indeprecationem vel declarationem commutetur, neutra verò harum specierum vel pœnalis vel famosa multò minus ad vindictam ducta, sed omnibus modis æstimatione injuriarum æquior sit, quid juramenti delationem prohibeat, magis magisq; hæreo.

§. LXVII.

Sed sufficiat mentem hucusque explicuisse, quid sentiam de æstimatoriâ, quod aliorum de hac sit judicium, quove fundamentô negativa mea nitatur, quàm ægre denique conscientiam integram servare possint, qui hanc ipsam aut suadent, aut instituunt. Lubet jam colophonis loco adhuc quærere de iis, qui æstimationem vel pœnam sibi solvendam ad pias causas destinare solent, num istorum numero & hi accensendi veniant? Videntur quidem conscientiæ suæ meliùs hoc agentes consulere, in eo præsertim, quod lucri cupidi audire non debeant. Verùm, utut posterius hoc concesserim, omnem tamen conscientiæ labem neque hi effugient, cùm rationes pro stabilienda negativa mea allatæ contra hos quoque pugnent, & ipsum acquirendi medium honorabile non sit. Laudi utique ducitur homini Christiano, si facultatibus suis vel Ecclesiis, vel Scholis, vel Nosocomiis, aliisq; locis & personis egentibus prospexerit, vel ad operas publicas aliquid contulerit, ut non solùm apud probos amplissimam famam, sed apud Deum ipsum largam mercedem, licet gratuitam, sperare possit. Sed laus illa & remuneratio tum demum sequetur, si donationem vel legatum, vel quocunq; nomine alio veniat, de suo, non de alieno, quis fecerit, & facultates honorabili titulo partæ fuerint. Ast manum de tabula!

§. LXIIX.

Id tandem monendum quoque duco, ne quispiam mihi affingere, aut labem hanc inurere velit, ac si fulgentissimum illud Jurisprudentiæ sidus, Carpzovium dico, virgulâ notare censoriâ, animus mihi fuisset. Hoc enim si intendissem, dignus omnino vel ex mea sententia invenirer, qui omnibus irrisui essem. Quanta enim JCti hujus famigeratissimi in Rempubl. & orbem literarium sint benemerita, præstat jam silentiô transire, quàm eloqui; quoniam dignè eadem depredicandi nulla mihi facultas, nulla facundia est. Sed veniam mihi ab æquo Lectore polliceor, si Carpzovium evolvendo deprehenderit, non uno in loco seipsum correxisse, & humani nihil à se alienum putâsse. Quid? quòd in foro nihil frequentius, quàm rationes rationibus impugnare, præsertim in casibus dubiis, ubi certa lege, constitutione vel decisione destituimur. Si igitur pro ingenii modulo significavi, quomodò aliquando Carpzovius per Carpzovium intelligi queat, piaculum me non commisisse, prorsus confido. Plura, majora & meliora addere, cùm tenuitatis meæ ratio non permittat, gradum heic sisto, &, dum votis tuis L. B. respondere non potui, culpam deprecor omissionis, correctionem tuam, si errantem vel dubitantem informaveris, acceptaturus lubentissimè. Tantum!

Soli DEO gloria!

